

3. Heinrich IV. schenkt seinem Diener Marquard eine Königshufe zu Knappendorf im Bezirk von Merseburg.

Meissen 1068 [Oct. 18].

In nomine sancte et individue trinitatis. Heinricus divina f. 97. favente clemencia rex. Notum sit omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam presentibus, qualiter nos pro remedio anime nostre et ob dilectissime contectalis nostre ac regni consortis videlicet Berhte<sup>1</sup> regine beatitudinem<sup>2</sup> et per interventum fidelium nostrorum scilicet Burchardi Haluerstadensis episcopi, Werinherii Merseburgensis episcopi, Herimanni Babenbergensis episcopi, Friderici Mimigernefordensis episcopi, Bennonis Missinensis episcopi, Gregorii Vercellensis episcopi ceterorumque familiarium nostrorum videlicet Dedi marchionis, Friderici palatini comitis Marquardo servienti nostro unum regium mansum situm in Cnapendorp in suburbano Merseburgensi in comitatu Friderici palatini comitis cum omnibus suis appendiciis, id est mancipiis utriusque sexus areis edificiis pratis pascuis agris aquis aquarumque decursibus molis molendinis exitibus et redditibus quesitis et inquirendis piscacionibus silvis venacionibus et cum omni utilitate, que ullo modo inde provenire poterit, in proprium dedimus, ea videlicet ratione, ut idem Marquardus sibi que successuri heredes liberam hinc habeant potestatem tenendi dandi commutandi precariandi vel quicquid<sup>3</sup> illis inde placuerit faciendi. Et ut hec nostra<sup>4</sup> regalis tradicio stabilis et inconvulsa omni permaneat evo, hanc cartam inde conscriptam manumque propria roboratam sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum domni Heinrici regis augusti<sup>5</sup>. (M.)

Pibo<sup>6</sup> cancellarius vice Sigifridi archicancellarii recognovi. Data est XV.<sup>7</sup> kalendas [nov.<sup>8</sup>] anno dominice incarnationis M LXVIII, indictione XII, anno ordinacionis domni<sup>9</sup> Heinrici XII, regni vero XVI. Actum Misni; in Christi nomine amen.

4. Friedrich I. bestätigt die von der Frau Oda von Selow dem Bisthum Merseburg gemachte Schenkung ihres Allods Selow.

Wallhausen 1169 Febr. 1.

In nomine sancte et individue trinitatis. Fredericus divina f. 101. favente clemencia Romanorum imperator augustus. Si dignitatis imperatorie speciali prerogativa honorem ecclesie dei et quietam inconcusse pacis eius tranquillitatem gloriose promoves et studiose servantes commoditatem rerum temporarium necessitati deo in ea militantium providemus, et nostre maiestatis auctoritate quidquid sui iuris est sibi confirmamus,

1) 'Berhie' B. 2) 'beatitudinen' B. 3) 'quitquid' B. 4) 'nostre' B.  
5) Ob verschrieben für 'quarti'? 6) 'Piro' B. 7) 'XX' B. 8) Monatsname fehlt B. 9) 'domini' B.